



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv**

**Reggio, Carlo**

**Romæ, 1612**

Genus suasorium, & Exhortatorium. cap. 11.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

Genus Suasorium, & adhortatorium. Cap. XI.

**I**N genere Suasorio quod est deliberatiuum, & Adhortato-  
rio quod ei proximè adiungitur solet esse magna pars  
Concionum nostrarum, quales sunt Conciones Christi ad po-  
nitentiam, ad charitatem, ad contemptum rerum terrena-  
rum, Vide Nazianz. Basil. Cyprian. Omnes loci huius ge-  
neris reducuntur ad duo Capita scilicet Verum & Bonum,  
sunt enim hæc duo obiecta, illud intellectus qui prius informa-  
ri debet, hoc voluntatis, quæ post intellectum est allicienda.  
Ad probandum aliquid esse verum, faciunt loci Theologici plu-  
rimi superius allati, & maximè testimonia sacra scriptura Cõ-  
ciliorum, Sanctorum Patrum, naturæ dictamen, & lex ipsa Con-  
scientiæ nostræ, quæ pluris est quam mille testes, lex humana,  
consuetudo, experientia, sensus ipsi, qui sæpe de rebus optimè  
iudicant. Ad secundum Caput pertinet Honestum, & cum hoc  
pium, æquum, vtile, iucundum, laudabile, necessarium possibi-  
le, facile. Sub honesto sunt omnes virtutes cum suis speciebus,  
& simul omnia quæ cum virtute sunt coniuncta, eamque con-  
sequuntur. Sicut enim Echo ad vocem resilit, ita ad virtutem  
quasi Echo respondet pax, tranquillitas mētis & tutâ Conscien-  
tia, ac præterea honor, fama, & gloria, & huiusmodi alia bona  
vt Cicero dicit, incorrupta vox benè iudicantium de eccellente  
virtute, virtuti resonat tanquam imago ( idest Echo. ) Cum  
honesto itidem intellige iustum, & æquum sub quo sunt pacta,  
merita, officia, quæ homines debemus Deo, & hominibus. Sub  
iucundo est letum, suave, gratulatorium. Necessarium est sine  
quo salui, & tuti esse non possumus vt si horter ad patientiam  
tribulationum, quia oportet nos per has introire in Regnum  
Dei, etiam putatur necessarium sine quo priuamur maximis  
commodis; Quod enim est maximè vtile pro necessario habe-  
tur. Quod autem res fieri possit, probatur ex causis efficienti-  
bus, & adiuantibus quas si ostendamus suppetere, rem factu  
facilem concludemus, vt si velim persuadere bellum contra  
vicia, indicabo omnia præsto esse. Præter hos locos sunt alij  
magis proprii, ac Theologici. V.g. si ostendam esse ad Dei glo-  
riam, eam esse Dei voluntatem, ac præceptum, habere promif-  
sionem Dei, præmia, ac mercedem, & contra non facientes mi-  
nas Dei, Ecclesiæ beneficium, esse spem boni successus, Dei au-  
xilium non defuturum, & id genus alia, si autem aliquid dissua-  
demus contraria his quæ diximus afferenda sunt.

De cura  
Paup. suscip.  
De non disse-  
rendo Bapt.  
De seruanda  
Vid & Virg.  
Capita suaso-  
rij sunt ve-  
rum, & hone-  
stum.

Virtus vt  
Echo.

3. Tusc.  
Iustum, &  
Æquum.

Necessarium  
& Vtile.

Loci Theo-  
logici.

Genus